

II.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 86.

Politica Mortuorum Colloquia.

Elysium-Meum, Die Veneris 30. Nov. 1810 (Neov. 13. Nov. 1810.)

Glocitatio Anserum, in Elysio Anserino.

Mirum! sane mirum! et tu hic es, et tu
svavis anicula! qu. o, amabo, fato isthuc ad-
pulsa? — an etiam sub saeva anserum sica
occubuisti, aut fortassis molli recubans stra-
to temporalem vitam cum nova permu-
tasti? —

„Heu! proh! dolor primum est, quod di-
xisti, Cara neptula! Helluo quidam rusti-
cus, cui decennio, ad anserinam fidem juro
meam: omni cum promptitudine serviebam, in-
signem illam insolentiam ausus est, ut, cum
ob aetatem ovis eum providere nequirem,
ad forum nundinarum me deferret, ubi ob-
aesitate praeclara Coca denis non ultra gros-
sis me emebat, domumque delatam caveae in-
cludebat, in qua nec vertere nec movere me
poteram, in hoc illa situ quotidie ternis vi-
cibus tantum alimentorum stomacho violente
infarcire, ut pro hebdomade saturari potuis-
sem, quo factum suapte demum est, ut
tantopere pinquescerem, ut propemodum
spiritu excluderer. Ita factum crudele ancil-
larum gens ad feralem locum me raptare, in

quo, nihil opitulante vagitu meo, sub ejus cultro anserinam meam vitam fundere debui. Necdum satis: postquam mortale velamen meum cunctis plumis spoliasset, leni me igne paulatim assandum curat — quo facto argenteo in orbe ampliae apponor mensae, quam anserina umbra mea invisibiliter ambiebat, cuique frequens humanarum Creaturarum societas assidebat, famelica cupiditate me adpetentium; discindor, discerpor, dilaceror miser — hoc erat dilecta neptula tempus quo excandui; figura hominis globo simillima lanæ stentoria voce: quid! senex hic anser canino haud dignus dente! vix haec prolocutus, subeunti conclave sicariae meae malevolus homuncio me una cum patina capiti injicit, quo paullulo ira mea deferbuit. Sinistro fato per latus declinavit ictum, forteque svavi odore meo allectus generosus Mopsus impetu facto offam arripit unquibus avidis et absorbet grate ut videbatur vultu. En! cara neptula! nosce abominabiles homines, et crimine ab uno disce omnes."

Verum videbatur mihi, cum nudius abhinc tertius ad stigas oras expeditus fuisset, universam hominum progeniem adversus nos conjurasse, quippe in diversorio ad aureum bovem loco, quae postrema statio mea fuit, innumera sororum turba nostrarum eandem vicem experta.

Proavia mea, cui Jupiter hilarem sedem largiri dignetur! vice quadam memoraverat, foedam hominibus consuetudinem esse,

pridie festi S. Martini qui plura ante saecula vixit, numerosos immolandi anseres, non quidem more sacrificulorum Beli, aut aliorum idololatrarum ad nos igne cremandos, neutiquam, sed ut sapida carne nostra pascant se, et oblectent.

Ast, amabo, doctissima Domina anus! ergo ne nulli excellentiori fini destinati sumus, quam ut adeo propudiosa ratione tractemur?

Quid, nos? primae in Orbe Creaturae incedimus — proh miserum absque praesidio nostro mortalium genus? — plumae nostrae hominibus, ut fessa membra molli strato tradere dulcique quieti mandare possint, serviunt, alias duro lecto incubandum iis esset.

Et quid dicam de pennis alarum nostrarum? hae ingrato homini maxime necessariae in mundo, secus bovinæ essent ruditas. — Minister publicus, Theologus, Medicus, Juris legumque peritus, Poeta, Judex, ludi magister, Novellarum scriptor, quisquis scribendi gnarus, pennis nostris ceu maxime necessariis instrumentis utitur. — Ope harum Bella et Paces confiunt, legesque feruntur. Unus ex pennis nostris profluens ductus lineae homines ad dignitatis fastigium evehit, aut ad ferale pegma deducit. Theologus ad componendos mentis suae conceptus ea utitur, ut pro concione verba facere possit; Juris peritus litigantes per eam partes concitat, eas fortunis multat, se ditat. Medicus patientes suos ad Erebum cum

ea expedit, Novalista nostro ministerio sexcentos mortales veri et falsiloquiis agit in stuporem."

Interea, quo garrula anicula loquacitati indulget, ecce turba Anserinarum Umbrarum de Martiniana epulatione peregre advolat, tantaque et tam vehemens glocitatio oriri, ut prudentissimus implumis anserculus sanum verbulum non intelligeret. — sed cum de glocitatione loquamur, age! et nos Lectoribus nova quaedam glocitemus.

Riga die 26. Octob. Die 22. h. Comes a Gottorp emeritus Rex Sveciae Anglicana Parlamentari ex hujate portu avectus, et Fregatae Tataro impositus, qua in Angliam vela dedit.

Excerptum Organisationis Hollandicorum Departamentorum.

Generale Gubernium Holl. Departamentorum, constat 1) Generali Gubernatore M. Dignitario Imperii. 2) Consilio Status, Gen. Intendenti rei aerariae et neg. int. 3) Rationum Magistro, cui res maritima demandata. 4) Rat. Magistro Directore central. Cassarum. 5) Rat. Magistro Supr. Direct. Teloniorum. 6) Directore publici Status debiti. 7) Directore Politiae.

Gen. Gubernator Amstelodami residebit. Iisdem attributis, quibus Gen.-Gub. trans Alpinus, gaudebit. Gen. Duces, imperio militari praediti milit. in Holl. Divis. ejus duntaxat jussu disponere de copiis possunt.

Palatium Amstelodami Caesareum declaratur. In Tribunali actibus administrationis, et notarialibus lingua Holl. cum Gallica adhiberi potest.

Territorii partitio haec est :

Depart. Recessus Austrini (Zuyder-See)

—	—	Ostiorum Mosae
—	—	Trans Isalanae
—	—	Ostiorum Isalae
—	—	Frisiae
—	—	Emsiae Occid.
—	—	— Orient.

A 1 Jan. 1811 in Hollandico Territorio 2 novae milit. Divisiones erigendae Nro 17 et 31 designatae, illius princeps statio Amstelodamum, hujus Groninga

Catholici et protestantici sacerdotii Organisatio in statu suo perseverat.

Decimae et arendae fundorum secundum existentes leges porro in Hollandia percipientur, de facultate memoratas Decimas et Arendatitios fundos emendi, ulteriora disponentur.

M. Ducatus Francofurt.

Francofurto 11. Nov. Serenissimus die 27. Oct. Hanavia seqv. Decretum edidit :

Carolus D. G. Princeps Primas Rhen. Foed. M. D. Francofurt. A. E. Ratisb. etc.

Erga relationem Ministri rei aerae nostrae, thesauri publici, Commercii, Fabricarum et artium, decrevimus et decernimus :

Art. 1. Generalis Finantiarum in nostro M. Duc. administratio immediate moderatio-

ni rei nostrae aerariae Ministri in 3 Sectiones dividenda.

Art. 2. Ad 1-am Sectionem pertinent directae omnis generis praestationes. — 2-da Sectio administrandis quibusvis indirectis praestationibus occupatur, in 2 partes subdividitur, primae accensentur, telonia totaque res Accisarum, altera insertionem Regestri et taxam a charta signata ambitu suo complectitur — administratio Domaniorum tertiam Sectionem efficit.

Art. 3. Quapropter denominandi:

Generalis Inspector directarum praestationum
— — Teloniorum et Accisarum.
— — Registrationis et Ch. sig. Tax.
— — Domaniorum.

Art. 4. Intuitu administrandi Regalis: silvarum et aquarum, prout montium et fordinarum, propediem speciali decreto disponemus.

Ser. Regius Princeps D. Status Consiliarium Borries Gen. Inspectorem directorum Vectigalium, et D. rei aerariae Consiliarium Leonhard Gen. Domaniorum Inspectorem denominare dignabatur.

Hamburgo 4. Nov. Heri seqv. Edictum promulgatum:

Ampl. Magistratui a Gallicis milit. Collegiis indicato: vigore Caesareo Regii de 10. Octob. h. a. Gallici Decreti quasvis in Hanseaticis urbibus vetitas Anglicanas merces adprehendendas, cremandas, cumque executione hujus Decreti 5. Nov. inchoandum

esse; idcirco A. Magistratus cunctos hujus Urbis Incolas et Cives adhortatur, ut se inalterabili huic agendi rationi accommodent, memorata Anglicana Fabricata molestiam domesticae lustrationis vitandi causa ad revidendum parata habere, eaque incunctanter extradare velint, praeterea persvasi sint, A. Magistratum nullum medium intentatum relicturum, ut in his arduis etiam adjunctis salutem Civium et Incolarum pro viribus promoveat. Cum vero omnis inquires, et renitentia moesta inevitabiliter consecutaria pro urbe et territorio habitura sit, A. Magistratus insuper quosvis et singulos paterne admonet, ut agendi rationem forti et quieto animo excipiant, cum renitentia quaevis ad legum rigorem plectenda sit."

Politicae Episodae.

Publicae et privatae litterae Riga memorant: Regem olim Sveciae navim ibi conscendisse, Classem primum Admiralis Saumarez, tum Angliam petiturum. Contra postremae ignorari ajunt, Britanniam an Americam petat.

Brunsvico fertur: D. Israellem Jacobson, Drammati: Moses, auctore Cel. Aug. Klingemann operam dedisse, ejusque elegantia adeo voluptate adfectum, ut auctori venustam pyxidem auream pretiosis lapidibus reudentem dono dederit et dedicationem acceptarit. Poema eximii effectus celebratur, et ab Israelitis cum animorum aestu frequentari perhibetur. —

Anonimus quidam Parisiis *Planum* vulgavit quo architectura navalis ex toto mutatur — secundum id naves non modo plana forma struuntur, id vulgare esset et more receptum, sed et ita parantur, ut sub eodem onere nec dimidia sui profunditate, ut huc usque, mergantur, aquasque leviter profundas etiam subire possint; imo et absque velis eas ad motum ponit, per remos medio antliae impulsos, — hac ratione maxima navis linealis intra horam sesqui alterum milliare postale emetiri potest. — Naves praeterea mergi non possunt, et prora et puppi, quae utraque instructae gubernaculis, aequè progrediuntur, ut proin in bello ad adpellendum admodum aptae sint, omnia haec auctor jam probavit, sed NB. in parvo.

Nuncia Parisiis publica ferunt: opus 2 jam tomis typò excusis constans Dnae a *Stael Holstein de Germania* probatum per Censuram, Jussu altioris Politiae penitus suppressum esse, — porro ea Galliis intra paucos dies excedere, atque pro futuro commorationis loco aut Koppet, Monachium, aut Amer. foed. Status deligere jussa, quo percepto jussu, illico ad portum gratiae se contulit, quamprimum nave Parlamentari Americam petitura.

Moralista. — *Index Leucarum.*

Ambo sibi similes, conditione pares. — Indicant viam qua incedendum, quin ipsi eam in persona ingrediantur.